



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Ægrè sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

nis nostræ fracti protinus, & confusi, resili-
mus, S. Gregor. hom. 3. in Evang.

In his ad conscientiam redeo, ad mentis
meæ secreta recurro: certus, quia, nisi pro
amore Christi, cuius ego malus servus sum,
nullius mortalis hominis gratiam quæro, nul-
lius iracundiam pertimesco. B. Petrus Dam,
ep. 4. ad Leonem IX. Papam.

Scitis, qualiter est de obloquentibus, & de-
sistentibus à bono incepto? sicut de parvo, puero,

qui à matre mittitur aliquò: qui ex latratu cani-
culi timet, nec audet transire; imò revertitur:
cùm tamen caniculus ei nocere non possit.
Talis stulticia est eorum; qui ex locutionibus
hominum non volunt vitam continuando tran-
sire. Pater noster Christus, & Mater Ecclesia,
mittit nos; ut vadamus ad civitatem paradisi.
&c. S. Vinc. Ferr. l. 2. D. 3. Adv.

Vide Pudor, Timor hominum.

TITULUS XII. RESTITUTIO ALIENI.

§. I.

Agere fit.

EGo faciam, quod iussisti. Et ille: jura
ergo mihi. Gen. 47. 30. Petit à filio pa-
ter, ut post mortem cadaver suum de-
ferat ex Ægypto, illudque sepeliat in terra Cha-
naan. Spondet filius: ita se facturum; & ad-
huc jurejurando obstrictum cupit Josephum.
Oleaster hic: parum curant filii, quidquid
parentes injunxerint; noveratque hoc prudens
senex: ideo filium jurare cogit; ut sollicitus sit
implere, quæ vult. Esset mihi hic amplius lo-
cus arguendi filios, qui nihil minùs curant,
quàm quæ parentes in morte præcipiunt. E-
quisque judiciis Dei parentibus hoc evenit:
qui, propter filios evehendos, aliena furripere
non cessant; ut nihil emolumenti ab eis post
mortem recipiant. Alvarez Illustr. 309.

*Fuit Arca Domini in regione Philistino-
rum septem mensibus.* 1. Reg. 6. 1. Cur tam-
diu? quia peccatores ad restituenda debita dif-
ficile adducuntur. Mendoza hic.

Noli attendere ad possessiones iniquas.
Eccli 5. 1. Nihil est, quod æquè multorum
conversionem retardet, quàm nolle restituere
ablata: ut enim retia amplam habent portam,
in quam pisces ingrediantur; angustam autem,
ut egrediantur: sic avari, ad accipiendum os
habent latum; ad reddendum angustissimum.
Octavianus hic.

*Vae ei, qui multiplicat non sua! usque-
quò, & aggravat contra se densum lutum?*
Habac. 2. 6. Nota: non ait contra alios, sed
contra se: ut enim alteri beneficiat, amore
crudeli perdit seipsum &c. Segneri. l. 13. die
Mercurii D. 2. Quadr.

Quatuor sunt hominum genera pertinaci-
ter obstinatorum: scilicet tyrannus in reten-
tione domini, hæreticus in pravitate fidei,
assuetus verbis improperii, & possessor alienæ
rei. S. Thom. Aqu. opul. 37. c. 4.

Peccatum paralyti simile, quoad pulsus:
nam pulsus paralyti est tardus, rarus & debi-
lis. Pulsus autem, cùm procedat à corde, &
derivetur ad manum; designat bonum propo-
situm cordis. Tardè, rarè, venit in opus, ma-
ximè in usurariis: quia, licet aliquando com-
pungantur, & restituere proponant; rarè ta-

Polyanthea Sacra, Tom. II.

men bene restituunt; aut differunt usque ad
mortem. Geminiani l. 6. c. 52.

Usurarius moriens hortanti ad pœnitentiam
respondit: nimis tardè est; jubensque sibi af-
ferri pecuniam, ait: heu! cum quanta sollici-
tudine vos acquisivi! & nunc propter vos ani-
mam perdam! nec tamen restituit. Broymard,
Restitutio.

§. II.

Restituentium exempla.

ET replevit carnem pro ea. Gen. 2. 21. Quàm
bonus Dominus, nostrique amans; nostra,
quæ sua potius sunt, exposcit; & in nostram,
non suam, utilitatem; & tanquam debitor mox
exolvit: docens, solvenda esse debita, restituen-
dumque ablatum. Persuasum mihi habeo, nul-
lum delictum adherere tenaciùs animo; nul-
lum sanari difficiliùs; quàm vitium eorum, qui
alienis potiuntur, & reddere in vita, imò nec
in morte, patiuntur. Fernandus hic.

Surgite, & egredimini à populo meo. &c.
Ex. 12. 31. Pharaò, obstinatissimus tyrannus,
qui Deum nescit, qui abs se nunquam dimit-
tendum Israël restatus est; uno filii funere
ita mollitur; ut suo edicto lituras inducat,
emittat subjectos, armenta abire permittat
cum prolibus, spoliari opibus urbes patiatur.
Tu verò, non Nilò, sed Jordane, inundatus;
qui Deo militas: qui inter Israelitas novæ legis
es coopertus; non frigente cadavere filii, sed pu-
trescente corpore tuò, alienam pecuniam domi
retines; quæ oppressisti, non relevas; animam
agis, & rem tuam agis, non quasi senex mori-
turus, sed quasi modò genitus infans: lac opum
exugis, & spiritum efflas; ut tecum sit pecu-
nia, planè non tua, in interitum? Duriores jam
Pharaone sumus: & si Nilo innatant crocodili,
harpæ lasciviant in Jordane. Oliya fer. 6. Dom.
4. Quadr.

Oves vestras - assumite. Ex. 12. 32. dicebat
Pharaò: & Christianus, ut oves retineat, depu-
tari non veretur inter hædos. Quanam, rogo,
hæc navigandi ars? conflictatà onerariâ, nè ja-
cias merces, navarchum dejicere in profun-
dum? Nè domò aurum efferatur, tu te infe-
res orco; cælò exclusus, quòd rapinas domò
non excluderis, Id. ib.

Ccc c

Videte;